



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P.|| Vincentii|| Brvni, Socie-||tatis Iesv,|| Meditationes,||
In Septem Praecipva Festa|| B. Virginis**

Bruno, Vincenzo

Coloniæ Agrippinæ, 1598

Brevis Descriptio Personae Iesv Christi Domini Nostri, Atqve Etiam
Beatissimae Virginis Eivs Matris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59989](#)

BREVIS DE-
SCRIPTIO PERSO-
NAE IESV CHRISTI
DOMINI NO-
STRIS,

ATQVE ETIAM
BEATISSIMAE VIRGL-
NIS EIVS MA-
TRIS.

VONIAM eos,
qui commentatio-
ne diuinorum re-
rum progressum
facere cupiunt in
spiritu, vitamq; suam ad viuum
CH R I S T I Saluatoris nostri
exemplum conformare , ma-
gnoperè ad attentè & deuotè
considerandam sanctissimam
eius vitam iuuat , menti obie-
ctas habere personas, quarum
verba, gestus, actionesque, qua-
si oculi

D E S C R I P T . D . N .

oculis cōspectas expendunt, id-
circo operæ pretiū mihi factur
videor, si pro maiori eoruēm
consolatione & instructione, i-
nitio hui⁹ opusculi breue ipsius
personæ C H R I S T I D . N .
qui nobis velut omnium virtu-
tum spectulum, ac vitæ nostræ,
sanctorumque morum nor-
ma propositus est, descriptionē
præmisero: ut sicut anima no-
stra creata & formata est ad i-
maginem & similitudinē Dei,
sed postea per peccatum defor-
mata: sic ad similitudinem vi-
tæ, sanctissimorumq; morum
filij Dei reformetur. Visum est
quoque adiungere, quoniam in
hac parte de sanctissima eius.
vita agitur, descriptionē beatissi-
mę ei⁹ matris M A R I A E, qui-
pe cum illam D E V S, post be-
nictum filium suum, nobis
dederit in Magistrum, & omni-
um virtutum exemplar, vt in-
sistē-

IESV. CHRISTI.

fistentes piorum more filiorū
vestigijs Matris nostræ, eius fa-
uore & auxilio perfecti effice-
remur CHRISTI filij imitato-
res, ac deinceps gratia ipsius co-
hæredes, & cælestis Patris eius.
hæredes.

VT ergo initium faciamus
à persona CHRISTI D.N. cum
is secundum diuinitatem suam
sit fons omnis gratiæ, & specu-
lum omnis pulchritudinis, pla-
nè verisimile est eum secundū
humanitatem quoque fuisse, vt
Propheta loquitur, *speciosum* ^{Psal. 44.}
forma præ filijs hominum, hoc est,
omnibus hominibus pulchrio-
rem, gratiōsiorem, & speciosiō-
rem. Erat enim, vt quidam Au-
tores referunt, & habet vetus
traditio, venerabili, egregio, vi-
uidoque vultu, & simul simpli-
ce, graui, & maturo, prudentiam ^{Niceph. II.}
cum lenitate coniunctam, pla-
cabilitatemq; iracundiæ exper-
tem.

^{1. Eccle.}
^{bif. c. vlt.}

^{s. Ante-}

^{ninus.}

DESCRIPTIO

tem præ se ferente. Corporis
statura recta & mediocri, ad
palmos prorsus septē. Capillis
more Nazaræorū promissis &
flavis, colorem referentibus au-
reum, persimilem intimo ma-
turarū nucum cortici, Cæsaries
eius non admodum densa, in ca-
pitis medio diuisa, æqualiter ad
aures defluens, inde verò quo-
dammodo ad crisplos declinās.
Supercilia nigra, nō inflexa. O-
culi subflauescentes vt capilli,
paulo tamē nigriores, sed acres,
& clari, è quorum luce mirifica
emicabat gratia. Frons plana,
ampla, & seuerior, nasus longior,
in quo, sicut & in ore nullū vi-
tium notari poterat. Facies, ne-
que rotunda, neq; acuta, sed po-
tius longa, sine ruga & macula
vlla, quam ferè habebat in terrā
demissam. Triticī colorem ma-
turescens, & cū modica fusce-
dine rubescens referebat: tam-
que

B. VIRGINIS.

que apparebat venerabilis, ut omnes intuentes facile in amore fui & reuerentiam pertraheret. Barba spissior erat, colore eodem, non admodum prolixa, & bifurcata. Collum fuit non arduum & erectum, sed sensim declive. Sermo eius grauis, gratus, & modestus, in reprehensionibus terribilis, in admonitionibus dulcis & amabilis: nunquam visus ridere, lachrymari saepius. Personam denique quoad humanitatem fuit benedictæ & immaculatæ suæ genetrici.

Quod deinde ad descriptionem beatissimæ virginis, Matris Dei attinet, sicut illa pulchritudine, & interna animæ suæ perfectione, non solum omnibus alijs mulieribus, sed etiam omnibus Paradisi angelis præsttit, ita verisimile est eandem quo ad externam corporis formam perfectissimam, & incomparabili pulchritudine præditam fuisse.

Vnde

DESCRIPTIO.

Vnde, quemadmodum scriptura prædicat C H R I S T U M fuisse speciosum forma præ filijs hominum, ita de illa similiter scriptum est, illam omnib. mulieribus esse formosiorem. Fuit ergo & ipsa, vt multi graues Doctores afferunt, statura mediocri, facie non rotunda, nec acuta, sed aliquanto longiore, colore, vt filius, triticum referente, capillo flavo, oculis item flavis, subfuscis & acribus, pupillis oliue colorem exprimentibus, & supercilijs inflexis, & decenter nigris. Nasus ei erat longior, labia florida & verborum suavitate plena, manus simul & digitи longiores. Breuiter, maiorē pulchritudinis perfectionem habuit, quam possit in corpore mortali inueniri. Tanta quoq; gratia in eius vultu resplendebat, vt Dionysius Areopagita (teste Dionys. Car-

Cant. 1.

¶ 5.

Epip. præf.

Niceph. li.

2. cap. 23.

S. AN-

S E L.

P. Canis.

thus.

B. VIRGINIS.

thusiano, & Vbertino) cum ex *inc. 3. de*
Græcia in Iudeam venisset, san- *diuin. ut.*
ctumque Apostolum Ioannem
rogasset, sibi ut potestatem fa-
ceret videndi excellentissimam
illam creaturam, è qua princeps
& autor totius vniuersi digna-
tus esset nasci, vbi in cōspectum
eius venit, tanta claritate & glo-
ria fulgentem conspexerit, ut
prē ingenti stupore deficiens in
terram ceciderit: sed tandem
compos sui factus, dixit, nisi ra-
tione naturali & fide cognouis-
set aliam esse diuinitatē, se hanc
ipsam loco diuinitatis habiturū
fuisse. Erat in omnibus honesta
& grauis, facilis ad audiendum
& per quam affabilis, ad obedien-
dum, & beneficiendum om-
nibus promptissima: sed vide-
batur admodū verecunda, pau-
ca tantum loquens, eaq; necef-
saria. Benigna erat in omnes,
cuique suum honorem & vene-
ratio-

DESCRIPT. B. VIRG.

rationem exhibens, sine risu, si-
ne perturbatione, sine vlla ira-
cundia, & super omnes excel-
lentissima humilitate ornata.

Quod ad vestimenta attinet, eis
simplicissimis, & honestissimis,
ac natui coloris semper cōten-
ta fuit, sicut probabile est fuisse
quoque vestem inconsutilem
quam suis manibus benedicto
filio contexuit, quæ erat lanea
reticulata, colore non omnino
albo, sed naturali leucopheo:
Exercitia & opera, quib. B. Vir-
go exterius se occupabat, erant
in lana & lino, vel serico ad ser-
uitium templi: reliquum tem-
pus sacræ lectioni, orationi, &
jeunijs, sicut postea suo loco
dicetur, continenter
tribuebat.

D E